



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Diff. 6. Quid tenendum de Recursu ad diversa Phantasmata in
Præcisionibus objectivis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

hæc unitas, stans in negatione differentiarum, requiritur ad universale.

OBJICITUR 4. Quando dico: Petrus est homo, ly homo respicit subiectum, & tamen prædicatio hæc est universalis, ergo universale potest dicere comparisonem ad inferiora, & tamen manere universale.

RESPONDETUR. Dum prædicatum respicit subiectum, adhuc in illo prædicato non est unio differentiarum, non enim universale singularisatur in prædicato, si non est unio differentiarum, est adhuc in illa natura abstracta, negatio differentiarum, si in illa natura abstracta, est negatio differentiarum, est adhuc unitas. Jam autem quando comparatur universale abstractum ad inferiora, non est jam negatio differentiarum, adeoque nec unitas. Si autem vi actus comparativi non est jam unitas, actus ille comparativus non requiritur ad universale formaliter, sed potius destruit universalitatem.

OBJICITUR 5. Si non fieret universale, per notitiam communem comparativam, sciri non posset, quando communem rationem v.g. albedinis concipio; an illa sit universale Accidentis, an speciei.

RESPONDETUR. Sine ulla comparisonem fieri id potest, per antecedentem cognitionem, quæ noscit, in quali sint conditione Entis, singularia, à quibus fit abstractio, & quomodo inter se comparentur prædicatum & subiectum.

Punctum Difficultatis 5.

Notantur quedam de Fabricatione universalis, & ejus Unitate.

NOTO 1. Successionem actionum influentium ad universalis fabricationem. Omnis cognitio nostra dependet à speciebus impressis nisi sit cognitio objecti intimè naturæ suæ præsentis. Species impressæ à phantasmatis, phantasmata à sensationibus, idè primò sensus percipit singularia, hoc singulare Equi, hoc singulare Asini, hoc singulare Hominis, attingitque similitudinem & convenientiam in actionibus, & motibus. Posita hac sensibili cognitione, formatur in phantasia materialis similitudo horum singularium & actionum, motuumque, post formatam similitudinem horum materiale, intellectus agens, format sibi speciem prædictorum, circa quæ discurrendo intellectus, advertit ea singularia in aliquibus convenire, in aliquibus differre, v.g. advertit intellectus, habere unitatem convenientiæ in vita, equum, asinum, hominem &c. quia de singulis verificatur vivens, sicut verificatur, & ratio sensitivi. Rursus advertit intellectus differre hæc singularia, quia v.g. Petrus ratiocinatur, equus non ratiocinatur, & advertendo in his singularibus rationes conveniendi, discernit illos, & depurat à rationibus differen-

di, formatque sibi rationem communem, in qua illa singularia convenient, & hæc erit ratio universalis pro genere sumpti, vel in qua differant, & hoc erit universale differentiarum, &c.

NOTO 2. Quæ sit Natura unitatis requisitæ ad universale. Universale, est unum aptum inesse multis, hinc posito quomodo evadat natura una, penetranda venit conditio ipsius unitatis. Natura illa in qua conveniunt v.g. individua hominis & equi, habet quandam indivisionem, essentialem, seu negationem divisionis essentialis, exigit enim non dividi in plures essentias, quæ exigentia non dividi in plures essentias, est unitas formalis, quæ quia non est conjuncta divisioni individuali, hæccitatibus, aut aliis differentis, quomodo est conjuncta à parte rei in statu existentie physice, idè, non solum est ibi unitas formalis, sed etiam eadem, est universalis formaliter.

NOTO 3. Qualis debeat esse abstractio naturæ, an v.g. quando abstraho rationem animalis, debeat fieri abstractio, à rationali, tanquam parte constitutiva speciei, quæ est homo, an verò debeat fieri hæc abstractio ab inferioribus hoc est Petro, Paulo, Andrea: de quo secundum diversas conditiones universalis decidendum est. Nam ut fiat universale generis, non solum ab individuis, sed etiam à differentiis debet abstrahi, quæ ipsæ sunt, quasi inferiora generis, cum sint constitutiva specierum, quæ sunt inferius genere. Si autem debeat construi universale speciei, sufficit fieri abstractionem ab hæccitatibus.

Punctum Difficultatis 6.

Quid tenendum de Recursu ad diversa Phantasmata in Præcisionibus Objectivis.

Pater Joannes Hostinski vir non solum claro sed & præclaro ingenio in explicandis præcisionibus Objectivis secutusque Guierdo, quem in fonte legere non licuit, recurrit ad diversa phantasmata, ita ut apud illum præscindere objectivè v.g. Animal à Rationali, sit, uti phantasmate Animalis, & non uti phantasmate Rationalis. Circa quam doctrinam illius.

NOTO 1. Non videri exactam hanc phrasim recurrere ad diversum phantasma Animalis in salvanda præcisione ejusdem à Rationali, potius enim debuisset fieri recursus ad speciem impressam Animalis idque ex eo; quia cum illa præcisio objectiva sit Actus intellectus qui vel tanquam principium, vel tanquam complementum supponit speciem impressam, cum phantasma sit nonnisi ad imaginationem seu sensum communem spectans, non debuit ad illud recurri immediate. Sed quidquid sit de phrasibus, Insuper

NOTO 2. Debere omnino tam tenentes præcisiones objectivas, quam eos, qui tumentur non-

nisi

nisi formales, recurrere ad diversa phantasma-
ta seu diversas species.

RATIO, quia cum nonnisi Deus intuitivè vi-
sus sine specie impressa noscatur, & in homini-
bus in hac vita nonnisi ipsi experimentaliter no-
ti motus animæ, sine specie impressa noscantur
(quicquid sit de eo, quænam objecta Angelis sine
speciebus noscant, & nos in altera vita noscitu-
ri sumus) hinc etiam notitiæ, hæc quidem Ani-
mal, illa Rationale repræsentans, haberi non po-
terit, sine specie impressa & quidē diversa, quia
diversæ sunt notitiæ. Concesso tamen quod
in Præcisionibus objectivis, recurri debeat ad
diversas species impressas. *Nihilominus*

NOTO 3. Supposito, quod lentur præci-
siones objectivæ, non sufficit recursus ad solas
species impressas, nisi recurrendo ad illas, merè
tanquam ad Comprincipia vel complementa
noscendi.

RATIO. Tum quia quæro vel præscindit
homo ab animali & Rationali simul sumpto, vel
non præscindit, si præscindit. Ergo tu non te-
nes præcisiones objectivas, cum hic ne quidem
formales admittantur; si non præscindit obje-
ctivè homo ab animali & Rationali simul sum-
ptis: Ergo neq; per diversam speciem impres-
sam cognoscitur homo, per diversam animal
Rationali hoc ipso enim præscinderet objecti-
vè, cum per te præscindere objectivè sit nosci
per diversas species. Quod si non noscitur

per diversas species, quærere restabit cur non?
quæ item sit ista identitas? exclusivæ etiam di-
versæ speciei impressæ in attingendo prædictum
objectum. E diverso debet dari negatio istius
identitatis, quæ fundabit diversitatem specie-
rum impressarum, & hoc fundamentum quod-
cunq; erit, cur non fundabit etiam in ipso obje-
cto prout repræsentato, & in statu intentionali
relucente, diversitatem, adeoque præcisiones
objectivas, quales à nobis defenduntur. Re-
curre ad diversa connotata; quærere restabit,
cur hic diversa annotata non sint sufficiens fun-
damentum earum, quas communiter defendi-
mus præcisionum.

Quod si adhuc recurre-
res, ideo dari diversas species impressas, quia da-
tur distinctio virtualis, magis adhuc firmabis
sententiam defendentem Præcisiones objecti-
vas. Hæc Ratio id intendit, quod scilicet fun-
damentum sufficiens ad diversas species impres-
sas, sit etiam sufficiens ad præcisiones objecti-
vas, tales, quales à nobis defenduntur.

Tum quia diversæ speciei impressæ de ani-
mali, & distinctæ à specie impressa de Ratio-
nali, vel respondet notitia diversum objectum
repræsentans, licet in eodem realiter, vel non
respondet; si non respondet diversum obje-
ctum: Ergo otiosa illa erit diversa species, cum
sicut species ordinatur ad repræsentandum ob-
jectum, ita species diversa, debeat ordinari di-
versum objectum repræsentandum, aut prius

alio modo repræsentandum. Imò si non re-
spondet diversum objectum, nec jam tenebis
præcisiones objectivas, cum præcisiones obje-
ctivæ stent in notitia diversum objectum repræ-
sentante, licet cæteroqui cum alio objecto sit
idem realiter; si autem diversæ speciei impres-
sæ respondet diversum objectum, cæteroqui
identificatum à parte rei alteri firmitati, quæ-
rere restat, quid hic ultra asseratur, quod non
sit assertum in defendendis (ut supra) præcisi-
onibus objectivis, cum agendo de fabricatione
universalis, longè ante motam litem de recur-
su ad diversa phantasmata, suppositum à nobis sit,
esse diversam speciem impressam Animalis, à
specie impressa Rationalis.

Tum quia accipiamus speciem impressam a-
nimalis videtur, quod illa ipsa in individuo, pos-
sit repræsentare animal sive illud comparetur
ad rationale, sive comparetur ad lapidem, esset
enim hoc multiplicare species sine necessitate,
& si esset inter has species aliqua diversitas, ef-
fetea, quia species de Animalis, comparatè ad
Rationale est species involvens in se identita-
tem Animalis cum Rationali, hoc autem invol-
vere, destruit totam rationem præcisionum ob-
jectivarum, quia in se importabit relucescen-
tiam etiam differentiarum, ex illo ordine, quem
dicit identificationis cum illis. Unde etiam in-
fra dicetur, aptitudinem Universalis, non esse a-
ptitudinem Positivam, quia aptitudo Positiva,
infert Differentias, quæ destruant rationem
Præcisionis objectivæ à differentiis. Hoc

supposito quod eadem species quæ repræsentat
Animal comparatum ad lignum, quæ repræsen-
tat animal comparatum ad Rationale. Ergo
illud cum suavi, cum modo sibi repræsentandi
proprio repræsentabit illud. Ergo excepto
hoc, quod Lignum & Animal in statu reali non
dicant identitatem, cum dicat identitatem Ani-
mal in statu reali cum Rationali nulla alia erit
diversitas, nam si quæ esset jam non eadem spe-
cies, illa repræsentaret, alia enim vi & modo re-
præsentaret, & tamen vis & modus repræsen-
tandi est identificatus speciei impressæ. Quod-
si pro statu intentionali ita se habet animal com-
paratum ad lignum ac comparatum ad Ratio-
nale pro statu intentionali, dabuntur Præcisi-
ones objectivæ planè eæ, quas defendimus.

Tum quia, sicut potest Deus producere ho-
mines solo numero distinctos, & saltem divini-
tus ponere duas albedines in eodem pariete, ita
potest producere in eodem intellectu duas spe-
cies impressas repræsentativas Animalis, distin-
ctas autem numero & realiter. Producat intel-
lectus informatus illis speciebus, duas notitias
ejusdem animalis, illæ notitiæ erunt distinctæ
realiter, cum tamen repræsentent idem animal,
non erit ibi Præcisio objectiva, sed tantum duæ
diversæ notitiæ, & tamen procedent à diversis
& distinctis realiter speciebus: Ergo recursus
ad di-

ad diversas realiter species impressas, non salvat Præcisiones objectivas, sed est necesse in ipsis objectis ponere diversas formalitates, virtualitates, Præcindibilitates, quæ est ipsissima Sententia Præcisionum objectivarum prout defenduntur.

Tum quia sicut dantur in intellectu Angelico species impressæ Universaliores, ita possunt dari & in intellectu humano, & si eas neges possibiles in intellectu humano, procedat argumentum de intellectu Angelico, qui potis est præcindere objectivè in aliqua saltem materia; quo posito sic urgetur. Ponatur species impressa virtute continens & speciem impressam Animalis, & speciem impressam Rationalis, cum vi & energia ita præsentandi Animal, & ita præsentandi Rationale, sicut cæteroqui species distinctæ realiter natæ sunt repræsentare; ad eummodum quo faciunt species universaliores Angelicæ vel sensus communis adunans in se perfectionem sensuum particularium, potensque producere sensationes consimiles illis, quas produciunt sensus particulares. Si illa species universalis continet in se perfectionem speciei impressæ animalis & speciei impressæ Rationalis, tunc illa species æquè repræsentabit præcisum objectivè animal & Rationale ac repræsentarent species distinctæ realiter, hoc ipso enim si non posset illas species repræsentare Animal præcisum objectivè non esset species universalior nec virtute continens illas alias. Quod si illa species quantumvis una realiter, potest repræsentare objectum præcisum objectivè: Ergo in præcisionibus objectivis, non habetur ratio Præcisionis, à phantasmatibus diversis, cum posito uno phantasmate adhuc possit intervenire Præcisio objectiva. Tum quia potest Deus assumere, ut species Animalis, producat cum intellectu vel compleat eundem miraculose in ordine ad ponendam cum intellectu notitiam Rationalis, præcisam objectivè ab Animalis, si enim potest divinitus in genere Efficientis assumi ad hoc lignum (supposita potentia obedientiali) multo magis id poterit species prædicta. Quod si ad notitiam præcisæ objectivè Rationalitatis ponendam, potest assumi species animalis, quæ cæteroqui viribus suis relicta potest comproducere vel complere intellectum in ordine ad ponendam notitiam Animalis præcisæ objectivè: Ergo præcisio objectiva, non stat illo solo recursum ad diversa phantasmata, sed est necesse partibilitatem in ipso objecto reperire, quod est ipsissima sententia præcindentium objectivè. Tum quia nulla particula definitiva speciei impressæ deposcit id ut species impressa non supponat sed conferat partibilitatem objecto: Ergo per recursum ad illam immerito salvatur partibilitas objecti, licet ad partibile objectum, ut in actum reducat, sit necesse

ponere re aut virtute speciem impressam diversam.

Punctum Difficultatis 7.

Satisfit suppositis in oppositum.

PRÆdictus sacra Theologiæ Professor.

SUPPONEBAT primò ex Izquierdo intellectum nostrum pro hoc statu omnia objecta insensata (qualia sunt formalitates secundum se spectatæ & respondentes pro statu intentionali) concipere ad instar sensibilem, subserviente tunc intellectui vi imaginativæ, ac pro re insensata intelligenda, speciem materialem seu phantasma substituente: in quo tanquam exemplari & imagine, objectum illud intellectus contempletur, ad eum modum, quo dum cognoscimus Angelum, fingimus illum tanquam juvenem alatum, & per modum aliis aliter quam est in se, per alienas species cognoscimus. *Hoc suppositum*

NON SATISFACIT plenè. Quia licet ex modo operandi animæ essentialiter determinatæ ad corpus, sequitur etiam intellectionem illius debere esse dependentem à phantasmatibus, idque etiam circa objecta insensata. Cæterum hoc contemplari objectum in specie sensata tanquam in exemplari, parit suam difficultatem: nam vel est res de specie sensata impressa, hæc non est exemplar nisi causativè completivè &c. ut scitur ex Animalisticis, quomodo ergo in illa, tanquam in exemplari, contemplabitur intellectus objectum insensatum. Si autem sit res de specie sensata expressa, explicandum fuisset, cum intellectus concipiendo v. g. Angelum, sub specie juvenis alati, altius quid rimetur & censeat, interponatque iudicium, quod ille sit non aliquis juvenis alatus, illius notitiæ debet dari altior species impressa, quæ coëfficit vel complet intellectum ut formet speciem expressam illius ipsius altioris objecti, cur ergo non dicetur in illa etiam specie tanquam in exemplari noscere objectum insensatum, non sistendo solum in illo sensato exemplari.

SUPPONEBAT 2. Ut intellectus aliquid per speciem alienam cognoscat, à pluribus ad hoc principiis induci ac determinari potest: quæ principia aut sunt naturalia, quales sunt præviæ species rerum, quas mediis sensibus anima requirit, aut artificialia, quales sunt Scripturæ, Voces, & omnia signa ad placitum. Hinc quoties intellectus intendit rem intelligere, cuius speciem non habet, determinatur ad hoc à speciebus alienis, ex quibus format speciem sensibilem, in qua tanquam imagine objecti illud speculatur.

Hoc suppositum inexplicatum adhuc relinquit id, quod tergit impugnatio suppositi primi.